



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

§. 4. De stupro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

R. Quòd grave incommodum postponendum
sit saluti animæ suæ. Ordo charitatis postular,
bonum conscientiæ præferendum esse famæ. Cæ-
terum vix, aut raro amitti potest fama ob con-
cubinæ expulsionem : nam vel concubinatum
cognoscunt vicini, & tunc ejiciendo concubi-
nam, nullum famæ detrimentum patietur, sed
potius bonam famam acquirer : vel concubina-
tum ignorant, & tunc quamvis ejiciatur con-
cubina, nulla sequetur infamia magis, quām
si ejiciat aliam feminam.

*Quid si incurrat concubinarius jacturam nota-
bilem bonorum temporalium?*

R. Si maneat morale relabendi periculum
per cohabitationem, nec illud periculum tolli
possit, amittendum potius temporale, ut salutis
animæ suæ possit consulere.

§. 4. De Stupro.

STUPRUM dupliciter accipi potest: 1. Genera-
liter, & impropiè, & sic significat illicitum
congressum. 2. Accipitur strictè, & definiri so-
let: *Illicita Virginis defloratio sub cura parentis
existentis.*

1. An stuprum distinguatur specie à simplici
fornicatione? Notandum, certum esse, quòd
sit circumstantia in confessione exprimenda,
si quis virginem primus violaverit.

R. Cum communi, & probabiliori sententia,
stuprum, etiam sine raptu, & violentia, esse
specie distinctum à simplici fornicatione.

Prob,

Prob. Per stuprum puellæ amittunt eam corporis integritatem, quæ tamquam naturale donum illis erat data, ut vel usque ad matrimonium eam conservarent, vel usque ad mortem, & cuius amittendæ metu virgines naturaliter absterrunt à fornicatione: quapropter hanc integritatem semel amissâ, tum à legitimo, & utili matrimonio impediuntur per se loquendo, tum in periculo, & via meretricandi constituuntur. Quæ omnia simul sumpta important deformitatem, quam non continet simplex fornicatio.

Nec refert, quod parentes & virgo consenserint, quia tam stuprator, quam puella peccant contra naturalem rerum ordinem, secundum quem illa corporis integritas, quæ est in virginie, debet inviolata servari, saltem usque ad matrimonium. Ad quid teneatur stuprator virginis, vide infra tractatu de restitutione.

§. 5. De Adulterio.

ADULTERIUM EST, *alieni thorii violatio*: unde requiritur, ut uterque, vel alter sit junctus Matrimonio; nam circumstantia matrimonii in viro, vel in fœmina facit, ut actus luxuriæ dicatur adulterium, ideoque præter deformitatem fornicationi communem, quæ in eo consistit, quod aliquis commisceatur mulieri non sibi juncta per matrimonium, reperitur hic & altera consistens in hoc, quod commisceatur ei personæ, quæ est alteri juncta matrimonio.

Adulterium tribus modis potest committi.